

INCLYTO ET INGENUO  
JUVENI,  
LUDOVICO  
COMITI,

Ex praeclara & illustri COMITUM &  
DOMINORUM à STOELBERG &  
WERNIGERODAE Familia,

DOMINO SUO VERE GRATIOSO

JOANNES CAESARIUS

S. D.



Ultis quidem mirum videri solet, Ludovice Comes inclyte & generose, si qui agnito demùm ipso bono, non statim etiamnum amplectantur illud ac sedulò persequantur, cùm bonum suapte natura ejusmodi sit, ut id ipsum (quemadmodum & id Aristoteles in Ethicis ex Veterum sententia tradit) omnia omnibus votis expetant. Verum hi mihi videntur illam Fabii Quintiliani sententiam aut ignorare planè, vel ne legisse quidem unquam, aut certè ejus prorsus immemores esse: *non facile mutaveris, quae semel inculcata sunt.* A qua etiam Quintiliani sententia nec illa Horatiana discrepat:

*Quo semel est imbuta recens, servabit odorem,  
Testa diu.*

Eadem

P R A E F A T I O.

Eadem utique utriusque auctoris sententia est, tametsi ab altero paulo simplicius, ab altero figuratè pronuntiata, & ad ea omnia rectissimè appositèque referenda, quae multo studio, multo labore, & longa demùm consuetudine animis hominum percipiuntur. Quocirca nihil in vita humana tam periculosum tamque pestilens & noxium censi debet, quàm teneras mentes his imbui sive morum, sive literarum studiis, quae operae pretium fuerit aliquando dediscere, & quidem opera multo majore, quàm ea, quae recta sunt, vel à primis rudimentis addicere. Si quidem hinc in mentibus hominum suboritur quaedam cum pravitas, tum caecitas, quae si quod est in illis iudicium, id protinus obruit & obtundit, nec sese ipsum unquam erigere sinit, ut quod verè bonum est, contueri aliquando & cernere possit. Jam hujus propositi, si quis exemplum sive documentum quaerat, in promptu est ipsa barbaries, incondita quaedam & inepta prorsus linguae balbuties, quae tamen superioribus aliquot seculis à Gothis & à Vandalis primùm illata plaga, posthabita interim & neglecta in totum recta loquendi tam Graecè quàm Latinè ratione, usque ad eò invaluit, & studiosorum alioqui hominum animos invasit & occupavit, ut jam non uno aut altero Hercule, sed pluribus opus fuisset, qui terras tot ubique horrendis monstris occupatas expurgassent. Enim verò hujusmodi Hercules, nempe linguarum vindices, & non instrenui hostium illarum propugnatores, tametsi non defuerunt proximis annis plus minus centum, ut nec hodie quoque desunt, nondum tamen  
penitus

P R A E F A T I O.

penitus explodi atque restingui potuit foeda illa barbaries, quin adhuc multorum animis tam pertinaciter, imò tam pervicaciter semel inculcata infidet & adfixa est, ut ferè spes nulla superfit fore, ut radicitùs evellatur unquam. Quid? quod iidem, licet videant nunc etiam utriusque linguae miram tum elegantiam & pulchritudinem, tum utilitatem, atque adeò usum ejus apprimè necessarium, nihilo tamen secius ipsas linguas non modò abominantur & detestantur, sed & damnant insuper, & nusquam non convitiis incessunt & infestantur. Et quod hoc etiamnum multo est indignius, ut non addam etiam impudentius, nonnulli ex his, qui cùm ipsi suis abusibus & insanis corruptionibus ansam occasionemque praebeant tot tantorumque malorum, quibus miserè hodie adfligitur orbis, ea tamen omnia bonarum literarum studiis & linguarum cognitioni imputare non vererentur. Quasi verò solem quis ipsum idcirco jure culpaverit, quòd mundum aperiat & illustret, noctem depellat ac fuget, in qua mendae (ut ille ait) latent vitioque ignoscitur omni. Sed non videmus manticae, quod in tergo est, ut alter ex Poëtis non tam lepidè & eleganter, quàm verè graviterque dixit. Nec aliter certè (id quod negari non potest) literae bonae mentes illuminant, exacuunt ingenia, & judicium adferunt: sine quo non rarò usu venit, ut cùm impar hominum sit prudentia (sicuti quidam haud ignobilis Auctor ait) par tamen omnium jus & auctoritas habeatur. Atque haec quidem illae praestant haud dubiè, eliminata tamen priùs & explosa barbarie, quae versæ

P R A E F A T I O.

versa vice mentes obnubilat, hebetat ingenia; iudicium, si quod est, obvertit prorsus & auferit: causa proinde verissima, quod tot tantaque classicorum scriptorum praeclara opera persum ivisse, & intercidiſſe omnino eruditi lamentantur & deplorant; inter quae & Cornelii Celsi opera, quae de omnibus propè bonarum artium studiis à se posteris auctor ille scripta reliquit, non inter postrema desiderantur, praeter libros octo de medicina, quos solos ex illis adhuc superesse & extare, accidisse credo magis divino nutu, quam vel fortuna (quae alioqui in humanis rebus plurimum valet) vel hominum industria, & id quidem (nisi fallor) propter ipsius artis cum dignitatem, tum necessitatem. Ob quas nimirum causas medicinam nobis, hoc est, artem illam, Ecclesiasticus scriptor ille inter Hebraeos non solum haud parum multum reverenter commendat, atque eadem merita laude prosequitur, sed & ejus artificem, nempe Medicum ipsum, honore dignum adjudicat atque pronunciat: *honora* (inquit) *medicum propter necessitatem*, &c. & de medicina non multo post: *Altissimus* (inquit) *creavit de terra medicinam, & vir prudens non abhorret illam*. Quin & ob easdem (opinor) causas, hujus artis inventores, deos esse falso persuasa credidit antiquitas. Unde & apud Ovidium in primo Metamorphoseon, ita illam sibi inventam arrogat & vindicat Apollo his verbis:

*Inventum medicina meum est, opifexque per orbem*  
*Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.*  
 \*\*  
*Nec*

P R A E F A T I O.

Nec non & Q. Serenus, qui & ipse de medicina carmine sané perquam eleganti scripsit, quem & Celso proinde nos, quòd simile idemque tractat argumentum, adjecimus, sed emaculatum antea & repurgatum non paucis, quibus scatebat, mendis, & suae jam integritati restitutum, statim in ipso sui Libri principio illud de eodem testatur Apolline, atque ita eum per invocationem, Poëtarum more, alloquitur :

*Phoebe salutiferum (quod pangimus) asserere  
carmen,  
Inventumque tuum prompto comitare favore.*

Simul autem inibi & Aesculapium ejus filium subinde invocando, ut praelens propitiusque sibi adesse velit, coepto peragendo, hunc in modum illum rogat atque precatur.

*Tuque potens aëthis, reduces qui tradere vi-  
tas  
Nosli, atque in coelum manes revocare se-  
pultos,  
Huc ades, & quicquid cupido mihi saepè ro-  
ganti  
Firmaſti, cunctum teneris expone papyris.*

His accedit, quod haec ipsa ars, praeterquam quòd diis suos inventores (ut inquit Plinius) assignavit, & caelo dicavit, cultores habuit potentissimos reges, à quibus credi potest eam studiorum partem accuratiùs ac diligentius custoditam, utpote qui scirent illam humanis usibus

P R A E F A T I O.

bus cum primis necessariam. Sed nec inde quoque eadem ars parvam meretur laudem, quòd inter artifices nullus tam propè ad Deum vitae datorem accedit quàm Medicus. Quippe quòd, ut ille vitam nobis dat & largitur, ita hic datam tuetur, & fugientem retinere conatur. Quanta praeterea laude eam efferat & Home<sup>us</sup> rus, indicat planè versus ille ex undecimo Iliados:

*Ἰητροὺς γὰρ αὐτῆς πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων.*

Porro autem siue jam diètas ob causas, siue ob aliam quamlibet causam hi nobis libri hucusque servati sint, illud certè nullus vel mediocriter doctus, qui saltem eos legerit, inficiari poterit, quin iidem usque adeò depravati atque corrupti, & à sua integritate demutati fuerint, ut eorum lectio hactenus vel doctissimis parum firma certaue exstiterit. Et profectò cum hic Celsus noster talis tantusque auctor & sit & habeatur, qualis utique & quantus ab eruditissimo quoque censetur & iudicatur (quippe qui in his octo libris de medicina oppido quàm eleganter scribens tanto artificio univèrsa morborum genera tractat, exequiturque definiendo dividendoque, & eorum protinus curationes non uno modo subjungendo; ut ne inter Graecos quidem hujus artis scriptores reperia- tur quispiam, qui tam exactè tamque diligenter id praestet, aut praestiterit unquam, licet principes artis medicinae ea natio nobis dederit, Hippocratem & Galenum.) Cui jam non mirum videri debet ex iis praecipue, qui hanc

\* \* 2

artem

P R A E F A T I O.

artem aut profitentur, aut certè colunt: cur illorum librorum lima à nullo eruditorum vel attentata sit hæctenus, cum tamen hoc auctor ille neutiquam meruisset, qui sic semper neglectus, nec dicam contemptus jaceret. Itaque cum mecum aliquoties reputarem ac perenderem, quàm id foret indignum, longa etiamnum expectatione frustratus, adeoque ut jam penè deplorata spes mihi esset futurum unquam, ut eruditus aliquis hanc sibi provinciam assumeret, videlicet qui Celsum ab importunis istis & infestis studiorum hostibus assere-ret vindicaretque; Ipse tandem eam aggressus sum magno quidem ausu, ac non minus temerario, utpote longè impar tanto oneri ferendo, & hos octo Cornelii Celsi libros mihi castigandos proposui, quatenus tamen illud mihi pro ingenii parvitate liceret, simulque nullis interim quantumvis gravibus magnisque laboribus abstinui, dum pro mea virili Celsus suae puritati & integritati, quatenus simul & res ipsa ferret, restitueretur. Jam verò in hoc quantum demum praestiterim atque effecerim, in eo candidus lector mihi judex esto, idque maximè, ubi Celsum hunc nostrum cum unoquolibet alio antè excuso contulerit & examinaverit: id quod ei & in Q. Sereno liceat. Quare si obstreperus quispiam ac perinde judex iniquus, & lector oculatior inter legendum observaverit locos aliquot, per me vel non fideliter castigatos (id quod evenire potuisse non negarim) vel intactos omninò (quod equidem lubens illi concessero) hunc admonitum velim atque etiam obnixè rogo, ut illud Aristotelis

telis

P R A E F A T I O.

telis gravissimi fanè Philosophi in Elenchis dictum secum expendat, quo vir ille lectorem juxtà prudenter ac probè admonet, ita omiſſa venià dignanda eſſe, ut inventa multo favore proſequenda. Eidem quoque & illud Horatii in mentem veniat.

*Eſt quodam prodire tenuis, ſi non datur ultra.*

His igitur rationibus licet abunde ſatis armatus videri poſſim adverſus obtrektorum, ſive (ut cum Plinio Catonis verbo utar) vitilitigatorum morſus & calumnias, quominus Celfus ex noſtra qualicunq; caſtigacione in publicum non prodeat, ſcholiis inſuper paſſim à nobis adjectis, ubi id res exigere videbatur, quo explanatior utcunq; eſſet, illuſtratus: illud tamen me ad hoc ipſum quoque parum provocat & animat, quod ſcio utique eum ſcriptoribus morem receptum eſſe, ut cum quidpiam à ſe compoſitum, publicare vellent, tum ſibi ex non infimi ordinis hominibus deligerent aliquem, cui ſuas lucubraciones dicarent, nuncuparentque; nempe ſub cujus tutela liberè deinde tutòque illae circumferrentur publicatae. Quod quidem cum & mihi jam faciendum foret, tu prae caeteris mihi ad hoc deligendus occurrebas, Ludovice optime & humaniſſime Comes, cui haſce noſtras in Celfum lucubraciones nuncuparem, dicaremque, partim quidem ea de cauſa, quae dicta eſt: partim verò & ob hanc, quòd cum anno ſuperiori per ferias Paſcha es aliquandiu agerem apud clariffimum virum Eberhardum Comitem &

\*\* 3

Do.



P R A E F A T I O.

Dominum à Konigstein, in ipsa ejus arce, ejusdem scilicet nominis & verè regali, utpote planè magnifica & eleganti non modò aspectu ipso & foris & intus, sed quae praeterea & arte & natura undique munita sit: tum me tibi ita devinxisse & ingenii tui dexteritate & suavissimo tuo nec inerudito colloquio, quo interim mihi liberrimè frui licebat: ut tum quoque mecum identidem cogitare coepissem, quae de re vicissim mihi devincire possim, ut qui hac parte mihi longè felicissimus viderer, si talis tantique Comitum gratiam & benevolentiam mihi conciliatam haberem. Cùm ergo id nulla re alia decentius fieri posse arbitrarer, quàm iis (quas in Celsi libros octo paravi) lucubrationibus, non quòd id satis putarim, quo te mihi tantum Comitem devinctum redderem, sed quòd certò scirem te non rem ipsam, quae datur & offertur, tanti aestimare, quanti ipsius dantis animum, eas ipsas (quaeso) nunc haud alio vultu suscipere digneris, quàm quali me vultu ad vos isthuc advenientem primum excipiebas, qualemque deinceps per eos dies, quibus apud vos agebam, perpetuò exhibebas, nempe benevolentissimum. Quin & illud mihi tum subiit, esse videlicet aliud ferè nihil, quod per ocium principes viros magis deceat, quam pulchris simul & honestis sese exercere literarum studiis, iisque maximè de rebus, quibus cognitae non animi tantum, sed & corporis molestiam (si quando eos invaserit corripueritque) propulsare possint. Cujusmodi sanè post studium sacrarum Literarum adjuncta Historiarum cognitione, inter reliqua praecipuum

P R A E F A T I O.

puum est studium Medicinae, dummodo tamen id tale sit, ut in eo res, quae tractatur, simul cum eloquentia conjuncta sit. Quale utique id esse, quod est apud Celsum in his octo libris, nemo non ex eruditis apertè videat, & ingenuè fateatur. Quippe cujus res quidem ipsa probè cognita ad corporis molestiam propulsandam ex ipso instituto facit: ejusdem autem rei contemplatio & cognitio atque obiter ipsa quoque lectio non parum confert ac prodest ad relaxationem animi, ubi is jam fatigatus est (ut saepe fit) variis rerum civilium occupationibus: cujusmodi principes plerumque viros tenent, ex iis praefertim qui suo ordini & officio satisfacere adnituntur, inter quos nunc nec inter postremos illae tenent illustrem & generosum parentem tuum Bodonem Comitem & Dominum à Stolberga & Vuernigeroda, nec non & jam antè dictum Eberhardum Comitem & Dominum à Konigstein, tuum ex matre avunculum, matrona quidem illa me Hercule non minus moribus spectabili quàm natalibus generosa, & te haud dubiè manent ob ingenii acumen & ingenuinam industriam, quae profectò tanta in te per aetatem propè juvenilem adhuc relucet, quanta rarò ea conspicitur, vel in his, qui jam senilem, nedum virilem attigerunt aetatem. Nec est, cur metuendum nobis sit, ne hac de te spe & opinione fallamur unquam. Quandoquidem habes tu, non solum ipsam ad hoc naturam ducem, verùm etiam exemplum ab illo tuo avunculo quotidie sumis, ut apud quem liberalissimè educatus filii loco haberis, quem & eo lubentius ob ocu-

P R A E F A T I O.

los tibi proponis, ut quem imitari studeas. At de hoc jam satis superque, ne videor fortasse alicui plus aequo propensior in tui commendationem, cum tamen revera hac etiam longè majorem tuae mereantur omnibus propè spectatae virtutes. Caeterum Celfo (quod dixi, cujus & rationem supra reddidi) Q. Serenum adjecimus & Rhemnum Palaemonem, seu (ut aliis placet) Priscianum de ponderibus, quòd ponderum videlicet ratio nonnihil habeat cum re medica commercii. Ad haec ut & styli varietas te interim ad legendum invitet pelliciatque, & legentem jam remoretur aliquantum ac detineat. Veruntamen ut tibi Celsum, ita ex illis duobus alterum, nempe Quintum Serenum, Henrico, alterum Alberto, utriusque fratri tuo germano, generosis & ingenuis adolescentibus dicatum volui, idque hac ratione, quòd sicut Celsus reliquis duobus non tam mole ipsa quam materiae tractatu longè praeponderat: ita tu duobus illis fratribus tuis ut aetate, sic & rerum cognitione anteis: aliàs verò, quae rarò inter fratres reperitur concordia (ut quidem non inelegans auctor ait) ea inter vos & reliquos fratres vestros germanos maxima conspicitur, ac in dies major speratur: hinc sumpto nobis indicio, quòd inter vos alius alium mutua, eaque perpetua profequitur benevolentia, quam procul dubio idem inter vos conciliat alitque animorum consensus. Vale rectissime, & me albo tibi devotorum adscribe, persuadeque Caesarium tibi esse deditissimum. Coloniae pridie calendas Aprilis. Anno à natali Christi, Millesimo, quingentesimo, viceesimo septimo.

R.